christus fit caput, [illegible] compaginat; fit
compaginis unitas, quam facit nisi caritas?
Et caritas dei unde? nisi diffusa est in cordibus
nostris per spiritum sanctum. Cum spiritus ut sit spiritus id est uitam
in hominis [illegible] membra non facit nisi quae
in corpore quod uegetat ipse spiritus inuenerit.
Qui ergo separatur a corpore christi non uiui
ficatur a spiritu christi. Verba quae locutus
sum uobis spiritus et uita sunt. Quae tamen intelli
gis spiritaliter, spiritus et uita sunt tibi. At
cum carnaliter, etiam sic illa spiritus utique; non
credunt propheta: Nisi credideritis non
intelligetis. Per fidem copulamur, per in
tellectum uiuificamur. Qui autem non
credens resistit, quomodo uiuificatur?
Aduersarius radio lucis est quo penetran
dus est; non auertit aciem sed claudit
mentem. Sciebat enim ab initio ihesus
qui essent credentes et quis traditu
rus eum esset. Ut omnes timerent, nullum
expressit nec siluit, sed postea quam
distinxit credentes a non credentibus,
expressit causam quare non credant,
et dicebat: Propterea dixi uobis inquid
quia nemo potest uenire ad me nisi
fuerit ei datum a patre meo. Ergo et cre
dere datur nobis. Non enim nihil est
credere, sed aliquid magnum est.
Discipuli eius abierunt retro. Retro inquid
post satanan, non post christum. Unde
quibusdam feminis dicit paulus: Quae
dam enim conuersae sunt retro post
satanan. [illegible] illo ambulauerunt.

Ecce praecisi a corpore uitam perdiderunt; inter
non credentes et ipsi deputandi sunt, quam
uis discipuli dicerentur. Abierunt retro non
pauci sed multi. Forte hoc factum est ad con
solationem discipulorum. Nam aliquando con
tingit ut dicat homo uerum, et quod dicit
non capiatur, atque illi qui audiunt scan
dalizati discedant. Dicat apud se homo:
hoc et domino contigit; dixit et perdidit multos,
remansit ad paucos. Dixit ergo ihesus ad duo
decim: Numquid et uos uultis abire?
Nec hoc tacuit, ut responsio permansionis eorum
innotesceret nobis. Sed quare mane
bat et iudas? domino iam apparebat.
Respondit petrus pro omnibus unus, unitas pro
diuersis: Domine ad quem ibimus? Repellis
nos a te; da nobis alterum praeter te. Ad quem
ibimus? Verba uitae aeternae habes. id est uitam
aeternam habes in ministratione corporis
et sanguinis tui. Et nos credimus et cogno
uimus. Credimus ut cognosceremus.
Nam si prius cognoscere deinde credere
uellemus, nec cognoscere nec credere
ualeremus. Quid credimus et cognouimus?
Quia tu es christus filius dei; id est quia ipsa uita
aeterna tu es, et non das in carne et sanguine
tuo nisi quod es. Nonne ego uos xii elegi
et unus ex uobis diabolus est? Ergo xi elegi
diceret. an eligitur et diabolus? electi
in laude solent dici. An electus est et
iste, de quo nolente et nesciente magnum
aliquid bonum fieret? hoc est proprium dei contra
rium iniquis. Sic enim iniqui male utuntur

aus Inc I 6

Cod 756 60a

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. 756.60, 3r – Collection of homilies (https://fragmentarium.ms/view/page/F-q7xe/5101/48674)